

VERSION LATINE

SESSION 2002

Impiété de Denys de Syracuse

Dionysius, cum fanum Proserpinae Locris expilauisset, nauigabat Syracusas ; isque cum secundissimo uento cursum teneret, ridens : « Videtisne, inquit, amici, quam bona a dis immortalibus nauigatio sacrilegis detur ? » Atque homo acutus cum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseuerabat. Qui cum ad Peloponnesum classem appulisset et in fanum uenisset Iouis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornat e manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cauillatus est aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum, eique laneum pallium iniecit, cum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapi Epidauri barbam auream demi iussit ; neque enim conuenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more ueteris Graeciae inscriptum esset **BONORUM DEORUM**, uti se eorum bonitate uelle dicebat. Idem Victoriolas aureas et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat eaque se accipere, non auferre dicebat ; esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere. Eumdemque ferunt haec quae dixi sublata de fanis in forum protulisse et per praeconem uendidisse exactaque pecunia edixisse ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret : ita ad impietatem in deos in homines adiunxit iniuriam.